Lu le 5 7bre 1782

De Causâ Contractionis Matricis in Partu.

auctore D. de Matthiis, chirurgo neapolitano.

Immensus quanquam pateat investigationum Campus Chirurgiæ Studiosis, nobilique captis cupidine hyppocratis, Celsi, Pauli Æginetæ, Parei, aliorumque tot summorum ubique Europæ Virorum in hâc Arte augendâ inclytorum famam apud posteros æquandi; Juvenis tamen Candidatus nondùm Experientiæ auxiliis suffultus, neque intimos Scientiæ recessus penetrare adhuc assecutus, impeditus hæret in eligendâ materiâ, in cujus explicatione improborum fructus laborum expromat. Adeò vacua occuparunt spatia Galli nostræ ætatis Chirurgi arcanis Scientiæ evolutis, luceque obscuris undique circumlatâ. Ecquis enim in Europâ vir in Chirurgiâ illustris quæ Academiæ Gallicæ principiis imbutus non

fuerit et quasi nutrite Educatus?

Difficultatem non ignorans, sed ambiens Suffragium Coetûs cui, unanimi Europæ consensu, Scientiam coronare datur, magisque ingrati animi quam tardi ingenii notam reformidans, offerre audeam Magistris ideas ex suis Lectionibus notas, non dignas forsan auctoribus, at saltem ardentis Scientiæ Studii testimonia, assumamque Mechanismum naturæ in fœtu edendo.

X Neminem fugit quod ab Hyppocrate ad nostram usque ætatem variæ fuerunt physologicorum haedere opiniones, aliis ex nutritionis defectu, aliis ex spatii insufficientiâ in matrice, aliis denique ex Meconii acritate et urinarum causam repetentibus. Anon vero Petit Celeberrimus Parisiensis Medicus tot falsas obscurasque dispulit idearum phantasmata, systemaque rationi magis et praxi consentaneum exposuit.

Expertissimus scilicet anatomicus Matricis naturam, Structuram, figuramque apprime callens, errorem Riviki confutavit; Cùm que demonstrasset ex variis quæ in corpore eodem perrepunt fibris, quænam priores, quænam posteriores

evolvantur; quibusnam deindè instrui debeat qualitatibus agens qui partum operatur, matrice eas omnes continente, non temerè conclusit hanc unicam esse et principalem causam quæ in partûs actionem peragit, musculis abdominalibus munere agentis quidem fungentibus, verùm Matrici subordinatis.

Hoc igitur modo, juxta immortalem virum, res fit: fibræ Matricis, cùm ad certum extensionis gradum pervenerunt, contrahuntur eo modo ut fibris longitudinalibus et obliquis contractis, fundus Matricis versùs orificium appropinquat.

Hæc statim per se patent; at non mihi videtur Professor Clarissimus assignasse causam contractionis fibrarum, quibus supponit certum extensionis gradum.

Certum quidem est Matricis fibras quo magis evolvuntur irritabiliores fieri: verùm non minus constat cujuslibet Corporis fibras ad ultimum extensas elasticitatem amittere, ut multifariis in praxi exemplis cognoscitur, præcipuèque Vesicæ cujus fibras maxima cum Matricis analogia inesse videtur. Quæque

ex nimiâ extensione in atoniâ incidunt, insuper juxta hanc doctrinam in Mulieribus plurimis foetibus praegnantibus fibrae Matricis pro ratione numeri sese extendere debent, partusque immaturus sequi, quod contrarium hodierna docet Experientia.

Alia est igitur illius Contractionis Causa, mihique videtur esse pletora. Uno utitur natura modo, eâdemque Causâ homo nascitur quâ moritur, modò moriatur absque morbo.

Apud omnes nempe Medicos haec phaenomena observata constant in homine qui moritur deficiente Spiritu caloris, scilicet arteriarum diametros minuitur, cartilaginosae fiunt, quandoque ossificantur, apicesque extremitatum obstruuntur, amittunt elasticitatem, indèque transpirationes deficiunt, Contrà venae dilatantur, voluminosiores fiunt, cùmque earum invicem munus oppositum sit, primis à centro non valentibus accipere quod secundae reportant, pletora invadit generaliter oeconomiam

animalem, praecipuè quae pulmonum, mortes denique omnes quae in senectute accidunt sine morbo parvô comitantur tapsi.

Natura pro tempore quo foetus in materno sinu morare debet, duas dedit umbilico arterias, unamque venam; et si quis fuerit exercitus in dissecandis foetibus cujusque accretionis temporis, non ignorat in principio graviditatis venam umbilicalem parvulam esse, verum temporis cursu succrescere eo modo ut arteriarum praedictarum diametrum superet, undè fit ut arteriae non valentes sanguinem recipere quem in septimo, octavo et nono mense foetui vena refert, foetus ipse pletoricus evadit, consequenter placenta et uterus, et mutua interrupta communicatione uterque turgescens in contractionem incedit.

Placenta itaque, dùm vices agit pulmonis in foetu ubi sanguis vivificatus, et vasa Matrici adhaerentiam formantia obstruantur, à beâ se divellit, etsi non in totâ peripharia,

at Saltem in parte, tunc uterus vacuum inveniens, in seipsum redit, contrahitur, fœtumque et placentam tanquam extranea corpora expellit.

Ex his concludere pronum est pletorâ fibras contrahi, eodemque modo hominis ortum et mortem naturam operari.

Datum Parisiis anno Domini millesimo septuagesimo octogesimo secundo ex Doctore Physico Chirurgoque Duarum Siciliarum Regiæ Exercituum Philippo de Matthiis /.

No. 78